5.

DE VENENO ANIMALIUM THESES

QUAS SUB AUSPICIJS

ILLUSTRISSIMI, ET CLARISSIMI DOMINI

D. PETRI FRANCISCI RICCIJ

PATRITII, ET SENATORIS FLORENTINI

Illuſtriſs. ac Sacri Ordinis Militaris D. Stephani Equitis ejuſdemq. Ordinis Pręſidis, & Piſanę Univerſitatis Auditoris, & Moderatoris Vigilantiſſimi

IN PISANO ATHENÆO

Publicè defendendas proponit

DOMINICUS BROGIANUS

Almi Collegii Ducalis Alumnus Accademicus Rudis nec non publicus in eodem Lyceo

MEDICINÆ LECTOR EXTRAORDINARIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISS.ME ET CLARISS.ME DOMINE.

INter officia, quibus ſocietas, & civilis vita continetur principem ſibi locum vindicat beneficiorum memoria, magnumque quoddam liberalis animi deſiderium, quo ad ardua quæque ſuſcipienda fertur vehementiſſimè ut ejus, à quo beneficium ſuſcepit menti, voluntatique reſpondeat. Hæ mihi ILLUSTRISSIME, ET CLARISSIME DOMINE fuerunt faces, hi ſtimuli, hæc incitamenta, quibus inita graviſſimorum ſtudiorum via, maximiſque a TE cumulatus beneficijs in id unicè incumbendum mihi eſſe ſenſerim ut benevolentiæ erga me TUÆ, ſi fieri poſſet, reſponderem; Cumque hac de cauſa Theſes haſce publicj juris facere decreviſſem properare illæ ad TE jure ſuo videbantur. Decebat enim ut quem mea ſtudia [quorum curſum TE præſertim duce, atque adjutore auſpicari jucundiſſimum mihi fuit] parentem habuerunt, eundem quoque fautorem, Patronum-

que nanciſcerentur. Quid quod cum hiſce Theſibus nihil pretij, ſplendoris nihil ineſſe cognoſcerem, plurimum ſanè illis ex Tuo nomine dignitatis acceſſurum mihi pollicebar, adeoùt ſi nequirent propriâ, mutuatitiâ ſaltèm luce, & reflexis radijs illuſtrarentur. Is enim es, qui cum nobiliſſima domo prodieris, non tamen majorum nomine, & fumoſarum imaginum commendatione laudem aucuparis, ſed nihil habes antiquius, quàm ut propria, optimiſque operibus comparata luce refulgeas, nec de majorum laude glorieris, ſed in id unicè contendas, ut nobiliores poſteros relinquas. Niſi prohiberet me partìm modeſtia Tua, qua de TE magnificè prȩdicari non ſinis, partìm tantȩ virtutis conſpectus, de qua nihil honeſtius, prȩclarius nihil dici poteſt, quod ipſa ſplendoris, & dignitatis ſua lumine non antecellat, facerem profectò ut agnoſcerent omnes quàm dulce mihi prȩſidium, quod hiſce theſibus decus, & ornamentum comparaverim. Quare ea, qua TU omneſque tui ſunt humanitate, ac benevolentia, Theſes meas excipe, quas ſi judicio Tuo graviſſimo, & maximo comprobatas novero, putabo me laboris mei fructum ampliſſimũ hodierna die eſſe conſecutum.

Dom. Tuæ Illuſtriſs. & Clariſs.

Humillimus, & Addictiſſimus Famulus
Dominicus Brogiani.

I.

VEnena appellamus corpuſcula, quæ mira partium ſubtilitate, ſeù minima mole ſolidorum tonum, texturamque, & fluidorum motus repentè perturbant, & hominem citiſſimè de medio tollunt.

II.

Diverſa eſt in diverſis corporibus venenorum vis, & facultas; Neque enim putamus abſolutam venenis uti & medicamentis ineſſe vim, ſed relativam, ſeù venenorum actionem æqualem ſemper eſſe reactioni corporis in quo agunt, ità ut ex diverſo elatere impulſu reſiſtentia diverſas exerant vires.

III.

Ex tenuiſſima veneni mole, & depravata multorum imaginatione deduci facilè poteſt ſpiritus veneno infici, ſeù agere venena in hæc ipſa totiùs corporis principia, & quidem actione Mechanica ſæpè tamen vix explicanda, vix obſervabili; Licèt enim intimam cujuſque compoſiti naturam in eo ſitam eſſe arbitremur ut partes idipſum conſtituentes ſuo peculiari ſitu, figura proportione perfruantur, ignoramus tamen unde profluat, vel quid ſit hæc intima rerum eſſentia, ſeù id per quod res ipſæ aptæ ſunt ad eos omnes effectus producendos, patiendoſque, quos producere, patique poſſunt. Hoc enim eſſentiæ nomine intelligimus.

IV.

Rationes cœteræ, quibus operari credita ſunt venena, ut irritando, laxando, erodendo partes ſolidas, vèl diſſolvendo, coagulando, acrimoniam fluidis inferendo non veras cauſas, ſed primariæ recenſitæ cauſæ effectus eſſe arbitramur.

V.

Quid quod neque ad unam dumtaxat cauſam referri poſſunt diverſa tot Animalium venena; unde Frid. Hofmannum refellimus, qui ad ſolum ſpaſmum veneni actionem referre contendit, cum præſertim plures infecti nullo prorsùs convulſionis indicio vitâ diſceſſerint.

Digitized by Google

VI.

Si incredibile cuipiam videatur tantillo veneno Mechaniſmum omnem corporis repentè immutari, is vel materiæ diviſibilitatem in infinitum animo perpendat, vèl ea ſecum reputet, quæ a Boylio lib. de effluviorum ſubtilitate, de cupri diſſolutione, & auri ductilitate conſcribuntur.

VII.

Spectatiſſimi nominis Medici, inter quos Hoff. nullum, niſi in Animali ad iram excitato venenum eſſe contenderunt. Nos eorum opinioni non acquieſcimus, cum demortuæ viperæ vulnus arte infixum mortem inferat, & animalia etiam millies irritata ſi feriant aculeo, vel dente ſicco, poſtquam ſcilicèt venenatum ſuccum conſumpſerint impunè mordeant. Quare eorumdem venenum non in irritatis ſpiritibus, ſed in peculiari liquido in aculeo, dente, vel alibi conſtituto reponendum putamus.

VIII.

Duo requiruntur ut animalium venena vim exerant ſuam. Primò, ut morſu, vel aculeo vulnus infigatur, & per illud noxium ſanguini liquidum, ſeù venenum affundatur: ſecundò, ut infectus ſanguis communi maſſæ miſceatur.

IX.

Hinc nobis non arridet quorundam opinio Hirudinum uſum ideò improbantium, quia putant, hirudines dentium morſu noxium corpori liquidum inſtillare; Nàm & ſi ſalivalem hujuſmodi laticem hirudinibus ineſſe concederemus [quod incompertum eſt,] numquàm poſſet noſtri corporis humoribus admiſceri; Hæc enim animalia ſanguinem ſugunt, & cum ſanguine quidquid in vulnus immiſerunt: Hac de causá nullum ſuſcepto veneno animalis promptius eſt remedium, quàm vincta celerrimè ſuprà vulnus læſa parte, non tamèn adeò vehementer ut torpeat, hirudines ibidem apponere, vulnus ſugere, quod Marſi, Pſyllique olim præſtabant, cucurbitulas ſcarificatas inſtituere &c.

X.

Animalium venena, quæ ſanguini immediatè admixta mortem inferunt bibi, comedique impunè poſſunt, niſi in ore adſit ulcus, per quod patentibus vaſculorum orificiis ſanguini virus communicetur, idque ex eo derivatur, quia ſcilicèt diverſa eſt in corporibus agendi vis ſi per vaſa ſanguinea immediatè, ac ſi per primas vias cum chylo mixta ſanguinis maſſam ingrediantur; oris enim maſticatione, deinde ventriculi inteſtinorum, lactearum attritione adeò immutantur omnes non ſolùm veneni, ſed cujuſcumque corporis, & medicamenti partes ut diverſam prorsùs indolem, naturamque ſuſcipiant. Atque hinc eruta ſunt infuſoriæ Medicinæ fundamenta.

XI.

Quin & Animalia venatorum Animalium carnibus enutrita apud divites in delicijs habentur, viperæque carnes in Medicina uſurpantur. Hinc & ſi a veritate non abhorreat in America ſerpentum, quos higoanas vocant carnes in lautioribus convivijs adhiberi, fabulam tamèn redolere cenſemus,

mus, quod Liſterus putavit, luem nempè gallicam ab eſu ſerpentum hujuſmodi apud Indos originem ſuſcepiſſe.

XII.

Vigente hyeme, & in regionibus minùs fervidis Animalia veneno ſunt languido, diminutoque, idque tardiori per hyemem in Animalibus hiſce frigidorum circulo tribuendum putamus, vèl inopiæ caloris, a quo acriora reddi quædam corpora docet exemplum Mercurij a pluribus ſine detrimento contrectati epotique, quod tamèn ſi igni exponatur evadit acerrimum.

XIII.

Inter Animalium venena principem ſibi locum facilè vindicat viperæ venenum, quod in eo potiſſimùm humore conſiſtit, qui è Caninorum, dentium vaginis extillat; & ſeparatur in glandulâ poſt oculum ſita, cujus ductus excretorius abit in ſacculum in profundo ipſorum dentium ſitu conſtitutum, a quo in vaginas ipſas defertur. Dentes hi meatum habent manifeſtum, qui ad apicem eorum tendens in fiſſuram abit, per quam virus ad exteriora compreſſis gingivis ferri, eicique falsò aſſeruit Eduardus Tyſon; Redius enim accuratior non ex cavitate venenum egredi docuit, ſed ex ambitu dentium externo, ſeù ex ſpatio inter externam dentium, & internam vaginæ ſuperficiem conſtituto.

XIV.

Si ergò dentibus ſi ſalivali illo dentium latice, ſi vi ad imprimendos morſus neceſſaria careat vipera, ſi vulnus infigat maximè ſanguinolentum &c. facilè mors evitabitur. Hinc intelligitur qui nam Agyrtæ falſis antitodis pretium conciliaturi viperæ, aliorumque Animantium morſus impunè ſuſcipiant.

XV.

Viperam ſequitur, ejuſdemque fortaſſe genus eſt aſpis in Egypto præſertim frequens, a quo mors infertur celerrima, & placidiſſima, undè ad enecandos cita, minuſque acerba morte ſontes apud Egyptios adibebatur. Venenum morſu infert ut vipera, quod tamen Nicandro, Eliano, aliiſque referentibus primo, vèl ſecundo morſu totum infumit. Quod incertam plurimis reddidit Cleopatræ mortis cauſam; Neque enim unus aſpis duas primò famulas, ac deindè Cleopatram, ut memoriæ proditum eſt noxiè momordiſſet. Hinc acerrimæ inter Clariſs. Viros Morgagnium, & Lanciſium controverſiæ. Ex veteribus quippè plurimi dè ejuſdem mortis cauſa dubios ſe profitentur, venenoque, vèl Narcotico putant obijſſe cum præſertim apud veteres Græcos, Romanoſque fuerit conſuetudo, ut venenum in annulo, vèl alibi tanquàm præſentium ærumnarum pharmacum deferrent, idque Cleopatra in acu comatoria gereret, Plurimi tamen aſpidis morſu eam obijſſe ſenſerunt, imaginem a Pictoribus elaboratam fortaſſe ſecuti in Auguſti triumpho deferendam, ut aliqua ignotæ mortis cauſa ſignificaretur, non ſecus ac noſtra ætate pictores oblatum Jo: Evangeliſtæ venenum indicaturi calicem pingunt, a quo ſerpens caput attollit. Rixarum hujuſmodi cauſam refundimus in incertas Aſpidis proprietates in experimenta de ipſius Veneno ferè nulla

in-

in diverſas ejuſdem ſpecies hiſtoriamque [nàm alij ipſum cum Ceraſte, alij cum vipera mare confundunt, alij aliter,] unde in ijs potiſſimum perveſtigandis laborandum cenſemus, ut rixis hiſce finis imponatur.

XVI.

De reliquis, qui occurrunt ſerpentibus cautè differendum cum plurimi vix veneno præditi plurimi ficti ſint, vireſque prorsùs falſas exetere cenſeantur. Quis enim alatos Dracones, hydras, aliaque Viſionariorum monſtra perhorreſcat? Quis Avicennæ concedat militem ſerpente ø lanceâ occiſo communicato per eandem veneno perijſſe! Quis Geſnero hominem è viventium numero ſublatum, quod balneo ſe merſerit lignis è caverna ſerpentum reciſis excalefacto? &c.

XVII.

Locum inter Angues principem ſibi vindicaret Baſiliſcus, uti deſcribitur horrendum ſibilo, viſuque animal, cujus venenum, ex oculis proficiſci plerique ſenſerunt, profluxitque hæc opinio è Pithagoræ Arabum, aliorumque etiam Geometrarum Philoſophia, qui contenderunt viſionem fieri per *extramiſſionem* radiorum, non per *receptionem*, unde exorta veterum faſcina; Licet verò ab obiectis viſibilibus impreſſionem oculi recipiant (rerum quippè ſpecies per materiales radios in noſtris ſenſibus imprimuntur, & cum ipſis ferunt objectorum qualitates, unde varijs, quas vident rebus variè oculi afficiuntur) ex diverſa tamen, ridiculaque, quam omnes referunt Baſiliſci hiſtoria de eo jure dubitamus.

XVIII.

Scorpios quoque præſertim Africanos veneno pertimeſcimus: Noſtros enim nihil fortaſſe, vèl ſaltem parum. Eorum cauda pluribus vertebris conſtat, quarum ultima in globulum deſinit, globulus in aculeum recurvum, unde facillimè corpus penetrat; Conſtat enim apud Mechanicos vim cunei in curvam deſinentis ſummoperè augeri ob acutiores angulos, quos efformant curvæ in uno puncto convenientes. Acumen ultimum aculei ſolidum prorsùs eſt, caretque foramine, quod tamen ſub ipſum immediatè conſtituitur, & ex eo venenum emittitur.

XIX.

Lewenocchius tria in hoc aculeo lateralia foramina deprehendiſſe profitetur; & fortaſsè ita ſe res habet; Nos tamen miris ejuſdem vitris non omnia concedimus.

XX.

Quod aſſerunt quidam de Baſſilici herbæ, & Scorpij Analogia, vel de Scorpijs in hominis cerebro odorando Baſſilico aſſueti repertis ridendo potiùs, quàm diſputando refellendum putamus.

XXI.

Eodem modo pungunt, & venenum, vèl ſaltem noxium ſanguini liquidum affundunt Veſpæ, aliaque Animacula, quorum plurima non morsù, ut putat vulgus, ſed aculeo, inſtillato ſub cutem liquido, cutem ipſam in-

tumo-

tumorem inflammatorium attollunt eodem pacto, quo agunt Medicam: epiſpaſtica, Cantharides, de quarum vi ad venenum propius accedente diſtractos in plures ſententias Medicos intuemur, & herbarum quarundam pungentium aculei, quos Animalium aculeis ſimillimos Medici deprehenderunt, axilli boum, inſecta gallas in arboribus producentia &c.

XXII.

Inter Araneas numeramus notum ſatis phalangium ejuſque genus Tarantulam in Apulia præſertim ac Taranto, unde nomen duxit frequentiſſimam. Mira diverſaque ab ejuſdem veneno effici memorantur, vel quia diverſæ phalangij hujuſce referuntur ſpecies, vel quia juxtà varias demorſorum diſpoſitiones varia contigerunt, riſus, ploratus, ſomnus, jactatio ſæpiſſimè ſtupor. Mirabilius quod refertur remedium muſica, ejuſque vi excitatæ ſaltationes, ad quas non eodem ſonu omnes impelluntur, ſed diverſo. Morbus aliquando eodem anni tempore recurrit, eodemque pellitur remedio.

XXIII.

Et ſanè maximam eſſe Muſicæ vim, ſonuque ſpiritus vehementèr agitari nemo non novit. A primis uſque Medicinæ temporibus eam in uſu fuiſſe docet in hiſt. Medica Dan. Clericus Melampi Apollinis, Chironis, aliorumque, tùm apud Egyptios, tùm apud Græcos Medicinam ſimul, & Muſicam excolentium exemplo. Quid enim de Saule dicam Muſicis Davidis inſtrumentis valetudini reſtituto? quid de ceteris apud Hom. Gellium, Athæneum, Plut. alioſque exemplis? quid de ſerpentum incantationibus apud veteres celebratiſſimis? Certè uti diſſimulare non poſſum multos ſepè falſos, quin imò ridiculos Muſicæ tribui effectus, ità neque negare æquales, concordeſque, quæ in aere Muſicâ producuntur oſcillationes, cum ad acuſticos nervos deferantur, eorum motum, vibrationemque in ordinem reducere, ſopitoſque ſpiritus excitare. Intelligetur id ex ijs quæ de Muſicæ effectibus in omnia ferè corpora Phyſici tradiderunt.

XXIV.

Quod verò non eodē ſonu Tarantati ad ſaltū omnes excitentur, veroſimillimū cenſemus exemplo chordatū, quarū ſi una pulſetur non omnes in alio inſtrumento tremunt, ſonumque reddunt, ſed ex dumtaxat, quæ uniſonæ ſunt, vel ad octavam, idque ex pendulorum theoria erui facilè poſſet, & ex Morhofij experimentis, Scyphos vitreos per certum vocis ſonum diffringentibus.

XXV.

Quod Cardanus, & cum eo plurimi putant Muſicam prodeſſe demorſis, quia excitata ſaltatione ſudor promoveatur, & cum ſudore diffluat venenum, incertum eſſe cenſemus; Non enim a copia craſſæ materiæ, ſed ſubtiliſſimæ minima mole inficitur corpus, quæ ſudori materiam tantam nequit ſuppeditare. Prætereà excitato diaphoreticis ſudore non adjuvantur tarantulati, quare ſudorem hunc ſalutis potius indicium, quam cauſam arbitramur.

XXVI.

Quæ huc uſque de Tarantula retulimus a plurimis falſa reputantur. Quare liceat unicuique, & quod non nolit admittere, & quod nolit repudiare; Accuratiores enim de hoc, magiſque concordes hiſtorias, rationes teſtimonia deſideramus.

XXVII.

Alia ſunt Animantia ceteroquin innoxia, quæ peculiari quadam de cauſa venenum adipiſcuntur, ut ex. gr. omnes quidem belluæ in rabiem actæ Canes ceteris frequentius. Rabiem producunt ira, regio fervida, potus abſentia, vermes interni &c. Rabie corripi propè Caniculam ex nimio dentium dolore ſcribit Jonſtonus, ex ortu Canis Syrij Plinius. Nos ſideris hujuſce in ſublunaria vim irridemus, quidquid obſtet Ricciolius, veterumque Romanorum conſuetudo Canem ruſum accedente Syrio immolantium, ut excitandos ejuſdem influxu morbos averterent. Licet autem veteribus, & præſertim Hipp. parcendum putemus, qui cum floruerit ante Hipparchi tempora ſtellarum fixarum motum non noverat, jure tamen recentiores quoſdam refellimus, qui noſſe debent tardius cum Sole oriri Caniculam ad integrum ferè menſem, futurumque ut medio etiam Januario oriatur ſi Caniculæ fervidioris ſolis radios efficienti rabiem adſcribant. Quid quod calore rabiem non ſemper excitari docet obſervatio Canum non æſtate Solum, vel Celo fervido rabidorum, ſed etiam hyeme, terriſque Celo frigidiore gaudentibus.

XXVIII.

Non ſemper ad imaginationis læſæ vitium referri poteſt rabies, neque ſemper ad maniam, cum demorſi quidam licèt furore correpti impetus tamen ſuos aliquandò repreſſerint, quod Maniacis non convenit. Perperam quoque a nonnullis rabies, & Hydrophobia ſub eodem nomine reponuntur; licet enim omnes rabidi ſint hydrophobi, non omnes tamen hydrophobi rabidi ſunt.

XXIX.

Rabidi venenum contactu, ſpuma, oſculo communicari negamus, ſed ejus morſum, & inſtillatam morſu ſalivam in id requiri defendimus.

XXX.

At quinàm morſu in vulnus inſtillata rabidi ſaliva rabiem, eademque Symptomata demorſo impertiatur? An ad animales ſpiritus delata eoſdem in illis excitat motus, quos in rabido peragebat? An infectæ ſalivæ minima moles ſanguinem omnem in ſui naturam convertit, non ſecùs ac exigua fermenti moles eandem vim toti frumento conciliat? Certè numquàm cum Frid. Hofmanno ad id confirmandum adducemus philtrorum exemplum ex amantium ſalivâ &c. confectorum. Primò enim res falſa ad confirmandam veritatem adduceretur. Secundò etiamſi id verum eſſet ignotum ignoto probaretur; tàm enim intelligitur quomodò per philtra communicari poſſit amor quàm per ſalivam rabies.

XXXI.

XXXI.

Diù latuit aliquandò rabies, & poſtquàm acquieviſſet iterùm in conſpectum venit; id verò accuratæ hiſtoriæ exemplaque plurium venenorum, & præcipuè decantati illius quod Aqua Peruſina dicitur confirmant.

XXXII.

Cauſæ rabiem producentes, morbi hiſtoria, cadaverum ſectio, phenomena, quorum princeps eſt aquæ metus morbi ſedem in inſtrumentis deglutitioni inſervientibus reponendam, ſalivamque potiſſimum vitiatam eſſe demonſtrant; & ad olei Calcis, ſeù Vitrioli naturam accedere; ex quo fortaſse aqua ore ſumpta convulſionem parit; Phiſicis enim experimentis conſtat aquam calci, vel oleo vitrioli affuſam efferveſcentiam inducere.

XXXIII.

Hiſce conſtitutis minimè acquieſcimus remedio ab omnibus decantato inſperatæ ſcilicèt in aquam immerſioni; Ita enim facillimè rabies tolli poſſet, quod nullo pacto contingit; Deinde aqua non ſolum deglutita, ſed vel ori admota convulſiones in rabidis parit; quid autem illæ portendant, & neceſſario efficiant nemo non novit.

XXXIV.

Ad cęteta igitur artis præſidia confugiendum, quorum utiliſſimum putamus uſtionem vulneris ferro candente citiùs inſtitutam; Cum tamen de hoc adeò non conſtet, omnium quibus opportunitas iſta contingat experimenta deſideramus.

XXXV.

Præter omnes haſce beſtias quaſdam itinerarij deſcribunt miro veneno præditas quarumdam Regionum peculiares, quarum plurimæ licèt fortaſsè vigeant plurimas tamen novitatis proferendæ gratia fictas eſſe cenſemus; Nullas tamen ferè gentes Animalibus veneno nocentibus deſtitui putamus, obſervatione præſertim adducti Willelmi Molineux, qui in Hybernia, quam Animalibus hujuſmodi carere quidam putarunt venenoſum inſectum deprehendit.

XXXVI.

Sunt qui putent contuſas venenatorum Animalium carnes vulneri applicatas venenum attrahere quibus fidem non habemus, uti & viribus lapidum è Serpentum ſtomaco, vèl capite eductorum.

XXXVII.

Dicendum etiam eſſet de Muribus quibuſdam peſtem apud Norvegos inferentibus, & de inſectis, vermibuſque à quibus epidemicos morbos oriri quidam contendunt, qui proindè inter venenata Animalia referri jure poſſent, ſed ab his abſtinemus.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTABUNTUR PUBLICÈ

In Scholâ Magnâ Piſani Lycæi
Anno Domini 1737.

Menſe Maij, Die Hora

Annuente Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Comite Gaſparo Cerati Eccleſiæ Conventualis Illuſtriſſimæ, ac Sacræ Religionis Equitum Divi Stephani Priore Meritiſſimo, & Piſani Athenæi Proviſore Vigilantiſſimo.

DOMINI ARGUENTES ERUNT.

D. Abbas Franciſcus Pagnini Volaterranus, Almi Collegij Ducalis Alumnus, Academicus Rudis, nec non Philoſophiæ Publicus Lector Extraordinarius.

D. Abbas Joſeph Zarini Pratenſis, Almi Collegij Ferdinandi Alumnus, nec non Publicus Medicinæ Lector Extraordinarius deſignatus.

D. Abbas Andreas Fremond Cremonenſis.

COETERIQUE VOLENTES.

PISIS, ANNO MDCCXXXVII.

Ex Typographia Jo. Dom. Carotti in Via Sericarior.
Superiorum Licentia.

5831352